



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 79. Alia Censura Propositionum ab Hieronymo Clichtoveo enunciatarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI.
A.C. 1521.

§. LXXVIII.

Censura harum Propositionum.

Hæ sex Propositiones hoc anno in numero jejunio verno in Sagiensi Ecclesia Cathedrali ad populum dictæ fuerant, eas vero Episcopus per Magistrum Joannem Gillain Theologicæ Facultati denunciavit. Hæc igitur illas censuris suis perstrinxit hunc in modum: *Primæ quatuor Propositiones ita indistincte positæ sunt scandalosæ, seditiosæ, & nullo modo prædicandæ, & si prædicatæ sint, revocandæ, accipiendo eas in sensu, in quo communiter accipiuntur post sepulturam exhibitam, & secundum laudabilem consuetudinem.* Postmodum de postremis duabus propositionibus sequens tulit iudicium. *Istæ duæ propositiones sunt temerariæ, & nullatenus prædicandæ, addit quoque, quod sint exhortandi Prælati, ne graves exactiones contra jura & laudabiles consuetudines in suis Diocæsibus permittant, quibus non intendit Facultas favere.*

§. LXXIX.

Alia Censura Propositionum ab Hieronymo Clichtoveo enunciatarum.

Argent. loc. c. p. 402. **E**adem Facultas die quinta Decembris sequentes Hieronymi Clichtovei propositiones

positiones censuræ subjecit. *I. Non est illicitum lege divina aut naturali vendere beneficia.* *II. Neque est prohibitum lege eadem pensiones redimere.* *III. Non est illicitum bursas vendere.* *IV Non est vetitum in die festo aut loco sacro negotiari.* Sæcul. XVI.
A.C. 1521.

Has propositiones Clichtoveus in secunda principali Conclusionem disputationis suæ, quam magnam ordinariam vocant, sub Magistro Joanne Bartholomæi Ordinis Cisterciensis propugnavit: cum vero illæ plurimis offensionem essent, Natalis Beda Syndicus coram conventu die quarta Novembris habito hac super re questus, scandalum condigne reparari postulavit, quapropter Præses, ac Licentiatus in jus vocantur, eisque præcipit Facultas, ut sensum, in quo hæc propositiones accepissent, exponerent, quibus auditis, Facultas quatuor istas propositiones damnavit addens hanc declarationem: *Prima est erronea, & quæ simoniacam labem divino jure prohibitam in Ecclesiam illicite induceret. Secunda est falsa, scandalosa, & viam perniciosè aperiens, qua venduntur beneficia, loquendo de pecuniaria Ecclesiasticarum pensionum redemptione. Tertia est scandalosa, & turpe lucrum impie fovens. Quarta sic indefinite posita est falsa, scandalosa, & impia.*

Pronunciato hoc judicio Clichtoveus propositiones prioribus contrarie oppo-

Sæcul. XVI oppositas propugnare jubebatur, cui
A. C. 1521. sententiæ tam ipse, quam ejusdem Præ-
 ses morem gesserunt.

§. LXXX.

Alia Censura de tribus Magdalenis.

*Idem initio
 tom. 2.*

Aliam insuper censuram reperio, quæ ab eadem Facultate die Sabbati nona Mensis Novembris in majori Aula Collegii Sorbonæ pronunciata, & die prima Decembris in Congregatione apud S. Mathurinum confirmata fuit. Ibi decisum est, nonnisi unicam dari S. Magdalenam. Cum primus omnium S. Gregorius Papa disertis verbis doceret, quod *Peccatrix illa, de qua S. Lucas scribit, eadem omnino persona exstiterit, ac Maria Lazari soror, & Maria Magdalena*; ideo hanc sententiam universalis Latinorum Ecclesia ob summam reverentiam, quam tam sancti ac præclari Doctoris testimonio debet, omnino amplectendam censuit: Cum vero eadem opinio in sæculo decimo sexto ad examen vocaretur, Jacobus Faber Stapulensis, & Jodocus Clitoveus Anno Domini millesimo quingentesimo decimo nono tractatum *de tribus, & unica Magdalena* typis ediderunt, quorum lucubrationem Joannes Fischerus Roffensis Episcopus, & Marcus Grandvalius con-
 futa-